De ordinationibus uero apostolicae sedis pontificum utrum post beatum [illegible] hormisdam
aliqua sint addita tua caritas requirit. Sed usque ad uigilii papae tempora expositas
ordinationes persolutas esse cognoscas. Alia uero thimiamata storacem et balsamum
sanctorum martyrum corporibus offerenda latore praesentium deferenda transmisimus.
In extremum uero epistolae quaesisti quid eis respondendum sit qui dilectionem tuam de
paruulorum animabus requirunt qui sine gratia baptismatis moriuntur dicentes.
Si corpus originali tenetur culpa unde anima quae a deo datur reatum trahit quae adhuc in
actuali delicto non consensit corpori. Sed hac de re dulcissima mihi tua caritas sciat
quia de origine animae inter sanctos patres requisitio non parua uersata est. sed utrum ipsa ab adam
descenderit an certe singulis detur incertum remansit eamque in hac uita insolubilem
fassi sunt esse quaestionem. grauis enim est quaestio nec ualet ab homine conprehendi. quia si de adam subs-
tantia anima cum carne nascitur. Cur non etiam cum carne moritur. si uero cum carne non nascitur.
Cur in ea carne quae de adam prolata est obligata peccatis tenetur. sed cum hoc sit incertum illud
incertum non est. Quia nisi sacri baptismatis gratia fuerit renatus homo. omnis ani-
ma originalis peccati uinculis est obstricta. Hinc enim scriptum est nemo mundus in cons-
pectu eius nec unius diei infans super terram. Hinc dauid ait ecce in iniquitatibus conceptus sum et in delic-
tis peperit me mater mea. Hinc per se ipsam ueritas dicit nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto non in-
trabit in regnum caelorum. Hinc paulus apostolus ait sicut in adam omnes moriuntur ita et in christo omnes uiui-
ficabuntur. Cur ergo infans qui nihil egit in conspectu omnipotentis dei esse non ualet mundus. Cur
psalmista se legitur in delicto a parentibus in iniquitate conceptum esse. Cur nisi quis mundatus a-
qua baptismatis fuerit mundus non est. Cur in adam omnis homo moritur si originalis peccati uin-
culis non tenetur. Si quidem genus humanum in parente primo uelut in radice computruit. Ariditatem
traxit in ramis. et inde omnis homo cum peccato nascitur. unde primus homo permanere noluit
sine peccato. Debes autem scire tabellarius hac latius loqui debueram sed dum me et curarum tumul-
tus premunt. et harum portitor relaxari debuit et inportune egerit. Unde multa debui
pauca locutus sum. Rogo autem omnipotentem dominum ut sua te gratia protegat et beati pe-
tri apostolorum principis intercessione a malis omnibus [illegible] seru& Quatenus seruor

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.5, 8v – Gregorius Magnus, Registrum epistolarum (https://fragmentarium.ms/view/page/F-poc1/5152/49341)